



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 92. Parisiense colloquium inter Catholicos, & Protestantas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI
A. C. 1566.

linii cum Guisiis specietenus fuere reconciliati: porro hæc concordia inter Annam Atestinam Guisiani defuncti Ducis viduam, & Carolum Lotharingium Cardinalem fratrem una ex parte, nec non inter Colinius ex altera fuerat inita, ideo etiam, ut hæc conciliatio fieret, præcipue Mulinensis conventus celebrabatur. Ibidem Colinius maris Præfectus solemniter jurabat, quod in Guisii Ducis necem nunquam confenserit, nec illius author exstiterit: postquam igitur Rex inter eos pristinam amicitiam restaurari, ac solidam pacem coli iusserat, hi in mutuos amplexus præsentis Rege ruebant, ac vicissim plenam præteritorum oblivionem spondebant.

§. XCII.

*Parisiense colloquium inter Catholicos,
& Protestantos.*

Thuan. l. c.
Belieforet
l. 6. cap. 103.

Rex Parisios redux decrevit gratiarum actionem instructo supplicum ordine, qui a sanctæ Genovesæ Ecclesia usque ad Cathedralem procedebat, eique ipsemet Rex unacum tota Aula sua intererat: sequenti autem Mense Julio Parisiis in ædibus Nivernianis inter Catholicos, & Protestantos disputatio instituta est, sollicitante Ludovico Borbonio Montpensero Duce Regii Sanguinis

Sæcul. XVI.
A C. 1566.

guinis Principe, qui Franciscam Borboniam Filiam suam ex primis nuptiis susceptam, necnon Robertum Marcianum Bullionii Ducem illius Maritum Calvinii secta infectos ad Catholicam fidem reducere satagebat. Intererant huic Colloquio ex Catholicis Simon Vigorius, postea Narbonnensis Archiepiscopus, & Claudius Sanctius demum Ebroicensis Episcopus: Protestantium autem nomine disputabant duo Præcones Joannes Spina fidei desertor ex Ordine S. Dominici, & Hugo Sorellus Rozorius, qui ob id e custodia dimissus est, cum in carcerem conjectus fuisset ob libellum a se compositum, in quo inter ceteras propositiones omnino seditiosas detestandam hanc doctrinam tradebat, quod Regem, aut Principem Religionis hostem occidere liceat: Ceterum huic colloquio duo etiam intererant Notarii, totiusque disputationis acta Gallico idiomate typis vulgata fuere: verum Montpensierius Dux optatum hujus colloquii successum non obtinuit; cum ejus Filia a suis erroribus propterea non resipuisset, licet post diurnam altercationem, ac vehementem animorum contentionem hæretici Præcones ad eas redacti fuerint angustias, ut omnipotentiam Dei negare, aut illam saltem plurimum restringere mallent,

Hist. Eccles. Tom. XLVII. M m quam

Sæcul. XVI.
A. C. 1566.

quam realem Corporis Christi Domini præsentiam in sacra Eucharistia adstruere, unde re infecta utrinque discessum.

§. XCIII.

*Apamiensis conflictus inter Catholicos,
& Protestantes.*

Phuan. l. 39. Paulo ante hoc colloquium Robertus Pelleveus Apamiensis Episcopus, cum juxta Regis mandata Protestantibus conventicula agendi licentiam interdiceret vellet, adversus eos literas ad Curiam dabat, eosque tanquam Regii edicti transgressores accusabat. Hac delatione facta Rex acceptis illorum nominibus, qui ex Magistratibus ad regenda oppida eligebantur, non nisi Catholicos selegit, rejectis hæreticis, simulque in Apamiensi Provincia cujuscunque alterius Religionis usum præter Catholicam interdixit, ac denique Damvillæ Occidaniæ Gubernatori injunxit, ut regium decretum executioni mandari curaret. Huic Regis mandato rursus Protestantes, incassum licet, obluçtabantur, cum vero id revocari desperarent, saltem illud libere transgredi statuerunt; itaque suos conventus licet non publicos, secretos tamen in privatis ædibus cogunt: porro re comperta Catholici, quantum valebant,